



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XIII. Quando nouitiatus incipiat, & an regularem habitum requirat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

mihi verosimile est, per illa verba nihil aliud voluisse Concilium dicere, quam annum esse computandum ab eo die, in quo aliquis in religionem admittitur, et nouitius. Quia vero hanc receptionem ex communi consuetudine fit per collationem habitus; id collam significauit Concilium per illam phrasim; *post receptum habitum*. Vnde si in aliqua religione esset consuetudo recipiendi ad probationem, & vtrum nouitatum in proprio habitu seculari, non exderem hoc esse derogatum per Concilium, vt de nostra Societate inferius dicemus. Adde insuper, quamuis religio non habeat specialem habitum pro nouitiis, sed in seculari habitu eos probet, nunquam tamen fieri posse, quin nouitius probetur in eo habitu, quem vel regula religionis prescribit, vel eius consuetudo habet, & hoc satis est, vt verba Concilii locum habeant.

Quapropter difficultates priori loco positae non procedunt, quia supponunt Concilium hic specialiter statere, vt annus probationis non incipiat ante susceptum habitum religionis, quod non concedimus, sed loquutum esse ordinario modo, quia receptio na fieri solet, & debet ratione consuetudinis, per quam multi censent derogata esse iura, quae in contrarium ibi citantur, quamquam dici etiam possit, vt supra insinuatum est, ibi non esse sermonem de probatione ad professionem, sed de probatione quae fieri solebat aliquando ad primam receptionem ad nouitatum. Iuxta quam expositionem potius inde colligitur receptionem ad nouitatum solitam fuisse fieri per mutationem habitus; quia ob hanc causam videtur specialiter cautum, vt in illa priori probatione habitus non mutetur. Quia vero argumentum ibi sumptum ex professione, procedere potest contra praedictam consuetudinem, vel obligationem ex illa prouenientem: responderi potest primo, magis esse de substantia nouitatus induere habitum nouitiorum, quam sit de substantia professionis induere habitum professorum; nam in professione hoc est quid posterius. Vnde sine dubio est quid accidentarium, & supponit probationem iam factam. Quapropter, licet id omitatur, vel licet, vel sine culpa, ob urgentem necessitatem, valida sit professio; at vero respectu nouitatus susceptio habitus videtur esse primum signum talis receptionis, & ideo magis videtur esse de substantia eius. Nihilominus non nego vbi vel ex lege, vel ex consuetudine, vel ex dispensatione fuerit aliud signum sufficiens, habitum etiam non omnino esse de substantia probationis, seu inceptiois eius.

Hinc ad secundam partem difficultatis dicitur, formaliter, ac praecise loquendo, annum probationis incipere ab eo puncto, in quo, & ex intentione religionis, & ex consensu nouitii aliquis admittitur ad talem religionem in statu nouitiorum, & vt in ea probari incipiat. Patet, quia hic est veluti quidem contractus inter religionem, & futurum religiosum, per quem conveniunt in sumendo experimento de se inuicem in ordine ad talem finem, & talis modo, & pro tali tempore; ergo ex eo puncto, in quo talis contractus perficitur ex mutuo consensu, & tempus designatum inchoatur, incipit probationis annus; ex natura vero talis pacti consequitur necessitas supponi, vt persona ipsa, quae recipitur, sit habilis, & in aetate conuenienti ad talem probationem.

Dubium vero est, quae nam aetas requiratur ad inchoandum probationis annum; nam aliqui postulant, in nouitio decimum quintum annum expleg. c. 15. cum dicit, probationis annum post susceptum habitum inchoari; duo enim in eo capite a

Fr. Suarez de iusu relig. tom. 3.

Concilio praecipuntur. Primum, vt professio non fiat ante decimum sextum annum aetatis impletum. Secundum, vt praecedat integer annus probationis. Hinc ergo intelligitur, hunc annum debere esse non solum in aetate pubere, iuxta antiquos Canones, sed etiam post decimum quintum annum aetatis expletum: nam probatio debet proxime praecedere professionem, seu professio immediate subsequi, vt ex c. 16. eiusdem Concilii sumitur, & infra dicitur. Vnde etiam aliqui Doctores aduertunt, vbi professio usque ad decimum octauum aetatis annum danda non est, iuxta cap. Quia in iniuria. de regular. vel iuxta particularia statuta alicuius religionis, annum probationis futurum esse in decimo primo aetatis. Ita Angelus verbo Nouitius n. 7. Syluest. Religio. s. q. 3. & Religio 2. q. 10. Cum ergo Concilium ait, *post susceptum habitum*, si absolute loquamur, videtur habere conditionem subintellectam, scilicet in aetate legitima: quae autem sit haec legitima aetas, Concilium non explicat, quia de hoc non agebat; obiter tamen insinuat videtur, debere esse annum immediate ante professionem, nam probatio conuincta, & continua cum professione debet fieri.

Nihilominus annum probationis posse inchoari ante decimum quintum, & consequenter expleri ante decimum sextum, sentiant communiter Doctores, qui post Tridentinum de hac rescripserunt. Ita Nauar. lib. 3. consil. tit. de regular. consil. 30. n. 1. in prima editione, Sorbus in priuileg. mendic. verbo Nouitius, notabili 4. Azor rom. 1. lib. 11. in instit. moral. cap. 4. q. 9. Henriquez lib. 13. Excommunic. c. 40. num. 2. Lessius lib. 2. c. 41. dubit. 7. n. 59. Sa verbo religio n. 3. Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 37. n. 49. Miranda in Manuali praed. tom. 1. q. 22. art. 3. prima concl. ad finem. Nam in primis posse annum probationis inchoari ante decimum quintum expletum, dummodo incipiat post annos pubertatis, seu decimum quartum, probatur, quia iure antiquo poterat annus probationis inchoari ante decimum quintum annum, Concilium autem nihil circa hoc innouauit; nec item est opus vt statim expleto anno decimo sexto nouitius ad professionem admittatur, nam licet Concilium c. 16. disponat, *vt finis temporis nouitatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenierint, ad professionem admittant, aut de monasterio eiciant*. Id tamen intelligendum est, nisi aliquid obster, & qui probantur habiles tunc inueniantur, vel inhabiles de contra iudicentur. Nam si vel annus decimus sextus ab ipso Concilio omnino requisitus non sit expletus, vel alia iusta, & rationalis causa occurrat professionem differendi, qualis esset, verbi gratia, si nouitius morbo aliquo laboret, vel si in probatione sufficienter non satisfecerit, vel aliquid obsterit ad rectam suorum bonorum dispositionem; quod post aliquot tempus elapsum non impediatur, licite potest professio differri, & in hoc conueniunt non solum citati Doctores, sed etiam Congregatio Cardin. ad quam decretorum Concilii declaratio spectat, quae ad illa verba Concilii c. 16. sess. 25. *Finis autem temporis nouitatus, superiores, nouitios, ita declarat. Haec verba respiciunt tantum ad habiles, & ita exlicentia. Sanctissimi Domini nostri, explicante hunc textum Illustrissimo Cardinali Clareualensi, censit congregatio dictum tempus Nouitatus esse arbitrarium.*

Vltimo expediendum est aliud dubium quod vltimo loco ponebatur de susceptione habitus in propria domo. Nam in primis manifestum est, Concilium loqui de susceptione habitus collati ab ipsa religione: nam si quis propria voluntate, seu auctoritate induat illum, illa susceptio habitus nihil ad probationem, vel religionem confert, vt notant Syluest. & Angel. supra argum. Clement. Ex. de regularibus.

Prima sententia.

Notatio.

Secunda et communis sententia.

Finis nouitatus a quo potest differri professio, si aentur rationabiles causa.

Declaratio Congreg. Cardin.

Resolutio vltimi dubii.



Ratio autem, quæ ex supradictis sumitur, est manifesta, quia novitatus & religionem, & novitium respicit, & ideo ex consensu utriusque partis debet inchoari. Neque oportuit in Concilio hoc amplius explicari, quia satis per se notum erat, maxime cum dixerimus, per habitus susceptionem descripsisse Concilium primam receptionem in religione. An vero gestatio habitus novitii debeat esse intra claustrum, quod in dicta obiectione etiam tangitur, non pertinet ad præsens, sed ad sequens punctum. Nam licet supponeremus, vivere intra claustrum esse necessarium ad debitum probationis modum, hoc nihil obstarer, quominus receptio, vel collatio habitus posset fieri extra claustrum, & si oportuerit, in priuata domo. Siue enim hoc licitè, siue illicitè fiat, non erit contra substantiam probationis, neque obstabit quominus in de incipiat novitatus, dummodo statim probatio in loco debito, & modo, ac tempore necessario subsequatur.

CAPVT XIV.

Quænam sint de substantia, seu necessitate probationis, vel novitatus.

1. Secundam dubiam cit. a verba Cont. Notatio.

Sensu dubii. Ratio dubitandi

Secundo loco exigit Concilium, ut professionem semel factam per annum, in probatione steterit. Et hanc conditionem ut necessariam ad valorem professionis ponit. Explicandum ergo necessario est, quid sit, in probatione stare. Ut autem intelligatur ratio dubitandi, supponamus in religione qualibet esse definitum modum, seu ritum probandi novitos sub certo habitu in tali loco, & habitatione separata, sub proprio magistro, & sub tali disciplina, & exercitio talium actionum. Inquitimus ergo an sit de substantia probationis, & ut impleatur verbum illud à Concilio positum, in probatione steterit, ut novitatus per integrum annum hæc omnia seruet. Et ratio dubitandi est, quia non est maior ratio de vna circumstantia ex dictis, quam de aliis: ergo vel omnes sunt de substantia novitatus, vel nulla, dicere autem omnes esse de substantia, scrupulosum valde, ac plane incredibile est; quis enim dicat, non egisse integrum probationis annum, qualem Concilium requirit, cum, qui vel in domo novitiorum non habitavit, sed in alia cella; vel novitiorum ministeria non exercuit, &c? E conuerso etiam dicere, nullam talium circumstantiarum esse de substantia, inuoluit repugnantiam, alias posset quis esse novitatus, & nihil eorum habere, quæ novitii sunt propria; quia ablati omnibus, quæ non sunt de substantia novitatus, poterit novitatus manere.

2. Adnotatio pro resolutione dubii propositi.

In hacre dicendum necessario est, aliquid esse de substantia novitatus, quo ablato non poterit quis vere dici esse in probatione, ut ratio facta conuincit; quæ etiam cogit, ut dicamus, non omnia illa simul sumpta, quæ in novitatu concurrere solent, & debent; esse de substantia novitatus. Adde insuper, quamlibet earum circumstantiarum, sine qua probatio hæc potest esse sufficiens, ut probatio sit valida, simpliciter non esse de substantia novitatus, siue determinatè sumatur, siue disunctim, siue confusè, ut sic dicam; quia illud dicitur esse in his rebus moralibus de substantia, sine quo res esse non potest. Dico autem, *nec determinatè, nec confusè*, quia posset quis cogitare, esto non sit de substantia novitatus habitare inter novitios, vel tales actus illorum exercere, vel tale signum novitatus deferre, vel aliquid simile determinatè, nihilominus de substantia illius esse confusè, & indefinitè aliquid horum, vel omnia simul facere. Hoc autem non ita est, tum quia substantia vniuscuiusque rei pro sua capacitate, & natura debet esse determinata; tum etiam, quia multæ ex illis circumstantiis tales sunt, ut per se sum-

ptæ non sufficiant ad novitatum constituendum sine quibusdam aliis; aliæ vero sunt, quæ sufficiunt sine reliquis: oportet ergo utrasque designare, & in hoc consistit punctus huius difficultatis, quæ mihi eo obscurior visa est, quo non inuenio illam in terminis tractatam, quod in re morali non parum difficultatem auget.

Ut autem, prout mihi occurrit, difficultatem explicem, distinguo ulterius inter statum probationis, ut sic dicam, & actuale probationem. Hæc enim duo, & secundum se facile distingui possunt, & ad rem præsentem maxime necessarium est, quia de substantia novitatus, est status probationis: actualis autem probatio, vel nulla, vel parua, ut ostendam. Dicitur ergo esse in statu probationis, qui ad hoc alicubi existit, ut probet, & probetur, estque idoneus, & expeditus ad hunc finem; actualiter autem probatur per actiones, vel passionem, per quas experimentum de persona sumitur.

Dico ergo in primis, statum probationis, seu novitatus substantialiter includere aliquid negatiuum, & aliquid positium. Negatiuum est, quod aliquis non fecerit professionem per vora, & traditionem acceptatam in tali religione. Hoc manifestum est tum ex verbis Concilii, quod vult ut totus probationis annus professionem antecedar: tum etiam ratione physica pro capacitate materię; quia factum ac res peruenit ad terminum, definit esse in via, præsertim in successibus; Vnde sicut de necessitate motus est, peruenisse ad terminum, ita de substantia novitatus non emisisse professionem; comparato enim sine, definit inquisitio, & formato iudicio, cessat consultatio: probatio autem ordinatur ad professionem, vt ad finem, & est veluti inquisitio ad iudicandum de futura professione; ergo statui probationis directe repugnat, professionem esse factam. Et ideo vel talis professio nulla est, vt nunc post Concilium Tridentinum, vel quando erat valida interueniente renuntiatione, eo ipso cessabat probationis status.

Hoc autem adeo verum est (estque valde notandum) vt non solum professio re ipsa valida, sed etiam existimata valida, sit contra substantiam novitatus, seu status probationis. Itaque si quis exterius professionem emittat, reuera existimans valide profiteri; eo ipso definit esse in statu probationis, quantumvis professio nulla sit, & quando in ea fide manet, tandiu probationis status esse non potest. Ratio est, quia probatio supponit libertatem assumendi, vel relinquendi statum, cuius gratia sit probatio: nam ad hoc ordinatur, vt qui probatur, experimento discat, an sibi expediat talis status; ergo probationi, ut sic, repugnat professionis vinculum, non solum re ipsa vere contractum, sed etiam existimatio eius; qui enim existimat se esse tali vinculo ligatum, iam non est in religione, ut probet illam, sed ex necessitate, vt debitum suum impleat. Dices, esto non sit ex intentione & voluntate probandi, tamen re ipsa probat, & experitur asperitatem religionis, quod satis esse videatur ad finem huius probationis. Respondetur reuera formaliter, ac proprie non esse in novitatu, ac probatione, vt Concilium requirit, quod satis patet ex modo loquendi, & communi consuetudine omnium religionum; nam qui existimatur professus, eo ipso vt professus tractatur, & tractari debet, & ideo pro tunc nec probari dici potest, nec esse in statu de se apto vt probetur. Et morale etiam est, vt vnusquisque alia animaduerfione, & circumspectione operetur, & obseruet res omnes religionis, quando ibi existit animo probandi, vel quando existit vt habens iam illum statum firmum, & immutabilem.

3. Distinctio præmissa.

4. Assertio prima

Fundamentum primum. Secundum.

5. Corollarium primum.

Ratio assertio.

Instantia.

Diluitur.

Vnde